

**Historia membra virilis feliciter extirpati : commentatio chirurgica /  
auctore Carolo Augusto Kuhl.**

**Contributors**

Kuhl, Carl August, 1774-1840.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Lipsiae : Apud Carolum Franciscum Köhlerum, 1824.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hsswnev6>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

HISTORIA

M E M B R I   V I R I L I S

F E L I C I T E R   E X S T I R P A T I.

---

COMMENTATIO CHIRVRGICA

A V C T O R E

C A R O L O   A V G V S T O   K V H L

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, CHIRVRGIAE IN VNIVERSITATE LITERARVM  
LIPSIENSI PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO.

---

C V M   T A B V L A   A E N E A.

---

L I P S I A E

A P V D   C A R O L V M   F R A N C I S C V M   K Ö H L E R V M .  
M D C C C X X I V .

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22372702>

Quotiescumque instrumentorum chirurgicorum a maioribus nostris  
aeque ac a coaeuis inuentorum atque saepe plus quam iustis laudi-  
bus celebratorum vllam egregiam adspicio collectionem, toties eo-  
rum copiam tacitus quidem admiror, ingeniique humani agnosco so-  
lertiam, sed mihi temperare nequeo, quin plurima eorum non tam  
ad restituendam hominum salutem, quam potius ad parandam in-  
ventoribus gloriam aliquam inuenta esse credam. In memoriam  
solummodo reuocemus immensam ad feliciter perficiendam suffusio-  
nis operationem inuentorum, perinde ac instrumentorum, quibus  
ad calculum secundum vti possumus, supellectilem; nonne plura eo-  
rum vix ac ne vix quidem inter sese differunt, nonne in eum modo  
finem excogitata esse videntur, vt postquam vni tantum operationi  
inseruerant, inque aliquo diario chirurgico, aut in dissertatione  
inaugurali descripta et commendata fuerant, aeternae tradantur  
obliuioni? Quod autem instrumenta inueniendi studium quo magis  
vanitatem ridiculam prodere videtur, eo magis illos laudare soleo,  
qui apparatus chirurgicum minuere et paucissimorum instrumento-  
rum ope vel grauissimas operationes perficere student. Cuius rei  
probandae causa nonnisi ad COOPERVM et LANGENBECKIVM prouoco,  
qui vel in summa instrumentorum abundantia vnius scalPELLi mini-  
sterio in lithotomia exercenda contenti sunt. Eodem modo REISIN-  
GERVS pupillae artificialis conformatiōnem maxime complicatam

ceratotomi et hamuli duplicis auxilio absolvit. Consiteor quidem, me ipsum quoque antea illis fuisse addictum, qui in operationibus peragendis ingenti apparatu chirurgico delectantur: ex quo vero BARTHII ophthalmiatri Vindobonensis, praceptoris immortalis admonitionem plus vna vice repetitam audiui: „*Ne veniat vobis, auditores, instrumentorum inueniendorum diræ cupidus, sed si vobis de infelici operationis exitu lugendum est, minime instrumentorum iniuriam, sed potius alias res, maxime vestram imperitiam, et omnino humanae naturae imbecillitatem accusandam esse existimatis,*“ hoc errore abiecto in contrariam opinionem ductus, simplicitatem summam in encheiresibus chirurgicis non satis celebrandam esse puto. Cuius axiomatis veritatem cum optime perspexisse, in commentatione nuperrime edita acuum aneurysmatum ligationi dicatarum magnum quidem, ne eas penitus ignorasse viderer, numerum exposui, sed meam simul hac de re mentem aperui, scilicet quo simplicius sit eiusmodi instrumentum, eo facilius meliusque perfici operationem, nec non duarum operationum simpliciori methodo feliciter peractarum addidi historias. In hac prolusione aliam, eamque non minoris momenti, extirpationis membra virilis in nostro nosodochio septem abhinc annis peractae narrationem cum lectoribus communicare apud animum constitui meum, non quod eiusmodi operationem pro inaudita habeam, sed potius, ut vel in grauissimis, maximeque periculosis encheiresibus simplicem agendi rationem locum habere posse probem.

Nolo nunc in verbosam huius operationis explicationem exspatiari, sed ad THAVTH<sup>a)</sup> libellum ex meo iudicio praeclarum lectors ablegandos censeo.

Duo symptomata quae multas operationes chirurgicas inprimis difficiles terribilesque reddunt, sanguinis profusio nimia, et neruorum perturbatio, ea quoque ab extirpatione membra virilis suscipienda chirurgos veteres ad CORN. CELSI usque tempora retinuisse

---

a) *Abh. über d. ges. u. kr. Zust. des m. Gl. Wien, 1814.*

minime mirandum est. Sunt quidem, qui HIPPOCRATEM iam scirrho ac carcinomati huius partis vel cauterium vel scalpellum adhibuisse existiment, quorum vero opinionem incertam ac vanam esse, negare non possumus. Multo magis CELSO<sup>a)</sup> primam eamque claram huius encheireseos descriptionem debemus, qui, „*si cancer colem occupauit, adurentia inspergit, maxime id, quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur, scalpello, quidquid corruptum est, sic ut aliquid etiam integri abeat, praecidi, vulnus deinde rri iubet, sed maxime metuit, ne profusio sanguinis insequatur, in quo casu quietem longam, aquam frigidam, medicamina styptica, et ferrum candens commendat.*“

Recentiores chirurgi in hac operatione exercenda in duas partes abiere, quarum vna scalpellum, altera vero ligationem defendit: Ex illis BELLIVM<sup>b)</sup>, DESAVLTIVM<sup>c)</sup>, DZONDIVM<sup>d)</sup>, LANGENBECKIVM<sup>e)</sup>, LODERVM<sup>f)</sup>, PEARSONIVM<sup>g)</sup>, RICHTERVM<sup>h)</sup>, SCHMALZIVM<sup>i)</sup>, SCHREGERVM<sup>k)</sup>, ex his autem HEISTERVM<sup>l)</sup>, PALVCCIVM<sup>m)</sup>, PLENKIVM, RVYSCHIVM<sup>n)</sup>, SABATIERVM<sup>o)</sup>, inter nostri aeui chirurgos GRAEFIVM ILL. appello, cuius agendi rationem BIENERVS<sup>p)</sup> in dissertatione academica Lipsiae defensa expositam iconibus illustrare studuit, et tria exempla laetum huius operationis exitum testantia adiecit.

Ceteroquin omnes virgae extirpationem vel hoc vel illo modo peragentes in eo consentiunt, quo propius ad symphysin ossium pubis demenda sit haec corporis masculi pars, eo maiorem esse haemorrhagiae funestae timorem, quapropter modo hoc, modo illud iacturae sanguinis aut auertendae aut coercendae remedium proposuerunt. Inter scalpelli defensores ILL. SCHREGRVS amputationem

---

a) de med. L. VI. sect. XVIII. §. 3. b) Lehrb. d. Wundarzt. I. 413. c) chir. Wahrnehm. 3. B. d) Beitr. z. Vervollk. der Heilk. I. Th. e) Neue Bibl. I. 4. f) chir. Beob. I. 79. g) Samml. aus. Abh. XVI. 650. h) diss. de opt. membr. viril. amput. meth. Regiom. 1804. i) Loder Journ. I. 4. k) chir. Vers. I. l) Instit. chir. m) Neue Ann. über d. Absetz. d. m. R. Lpz. 1752. n) Observ. XXX. o) médic. op. II. 303. p) de extirp. penis per ligat. Lips. 1816.

repetitis incisionibus perficiendam commendat, quarum vna absoluta arteriae ligantur, ne fortasse haemorrhagia sequentem impe diat: quam membra virilis exstirpandi methodum Exc. DZONDIVS quoque amplexus et cum felici euentu executus est; nihilominus tamen nec SCHREGERVS, nec DZONDIVS hanc mentulae remotionem valde periculosam esse negat. Quam ob causam mihi vitio non vertendum videtur, cum historiam morbi aequa ac sanationis huc pertinentem cum lectoribus communicem.

Mercenarius egenus, H. in primis e parietibus ex luto conficiendis victum sibi quaerens, annum quinquagesimum quartum agens, haud robustae constitutionis, vlcere carcinomatico, montem Veneris, membrum virile, et partem anteriorem superioremque scroti occupante laborans, sub finem anni MDCCCXVII. in nosocomium nostrum receptus est. Hic vir nulla vñquam aegritudine, si morbos infantiles, ac scabiem paupertatis iniuria genitam exceperis, affectus, malique venerei plane expers, tribus abhinc annis partem palae superiorem fortuito casu membro virili illiserat, ex quo ictu ab initio parum doloris percepit. Septimanis vero aliquot praeterlapsis tuberculum quoddam in praeputio natum hunc virum impulit, vt ex rustici cuiusdam consilio tumorem vnguis saepe scalperet, lotioque lauaret. Quod cum sine fructu factum esset, a chirурgo inferioris conditionis auxilium petiit. Hic eiusmodi malum non raro occurrere, *mitram hispanicam* (!) appellari, nec multum exinde metuendum esse affirmauit: interea nostro medicamentum quoddam externum praebuit, quo per satis longum tempus adhibito accessit dolor lancinans, et tumor ichorosum fluidum male olens effundere coepit, ita vt aegrotus ad alium chirurgum confugeret, qui per septem menses tertio quoque die causticum lunare loco affecto applicuit, et aquam saturninam commendauit. Morbus autem tantum absuit, vt mitesceret, vt de die in diem peior redderetur. Postea aegrotus textori linteorum cuidam, qui horis subsecivis artem salutarem exercet, se tradidit, a quo monitus est, vt cataplas mata ex farina secalina parata imponeret, quae tam efficacia fue-

runt, vt post breve tempus vnde uiginti conspicerentur orificia, ex quibus lotium proflueret. Cum dolorum vehementia, tum immunditiei molestia miserum adegerunt, vt textore relicto ad chirurgum alium se conferret, a quo epithemata aromatica accepit, vna cum spe celerrimae restitutionis: sed omnia frustra sunt adhibita. Ita crudeliter vexatus, omnique spe salutis recuperandae destitutus aegrotus b. ROSENVELLERVM adiit, ipsumque enixissime rogauit, vt, si quod arti superesset remedium, id sibi praebetur, hic miserum SENATVI LIPSIENSI AMPLISSIMO, cuius non minor in misericordia subleuandis est beneficentia, quam in regenda ciuitate sapientia, commendauit, hocque modo effecit, vt ille in nosodochium ciicum recipetur.

Conditio aegroti maxime deploranda fuit: corporis vniuersus habitus summam debilitatem monstrauit, oculi languidi, palpebra superior laxa et pendula, genae collapsae et pallidae, labia exsanguia et trementia, aegrotus stare vix valuit, respiratio difficilis ac anhelosa, pulsus debilis ac iusto frequentior, somnus dolore graui et pertinaci lumborum dorsique, febre vespertina et sudore matutino viscido interruptus, appetitus exiguus, digestio impedita, aliis modo laxa, modo obstructa fuit. Tumor commemoratus adspectum praebuit tristissimum, totum membrum virile ad symphysin usque ossium pubis in globum, pugni magnitudine, transmutatum erat, qui ex minoribus globulis, epidermide et cute destitutus, et excrescentiarum brassicae botrytidis figuram referentibus erat compositus, ita, vt ubi praeputium, vel corpora cauernosa, vel glans, vel denique vrethrae orificium fuissent, vix cognosceres, margines duri, eschara nigra, duraque passim obducti et vel a leui attactu sanguinem fundentes, superficies ichore impuro, limpido, maxime foedente, cum vrina mixta maduit, in ulceris vicinia ubique foraminula lotium excernentia conspecta sunt, vt de fistulis vrinariis dubitare non posses, quarum ostiis specillum immissum ad vrethram usque produci potuit: parietes harum fistularum duri fuerunt, atque callosi, lotii stillicidium inuito et inscio aegroto perpetuum; dolores pungentes antea

commemorati modo remiserunt, modo fortius redierunt. Mons Veneris excrescentias illis iam descriptis similes obtulit, pars anterior, atque superior scroti ab ichore et vrina largiter profluente epidermide denudata fuit, quod quoque in femoribus animaduertendum erat. Venae proximae varicosae fuerunt, haemorrhagia ex tuberculis quotidie fere apparuit; glandulae inguinales sympathice tumebant, in perinaeo vlcera foetida inuenta sunt. Ad hanc malorum turbam tres herniae abdominales, in dextro latere inguinalis et cruralis, in sinistro vero cruralis accesserant, quae aegroti conditionem multo magis miseram reddebant. Interea valde mirandum erat, ceteras partes generationi dicatas, vti testiculos, epididymides, funiculosque spermaticos perinde ac glandulam prostata nihil morbos monstrasse.

Quae cum ita essent, minime dubius de carcinomatosa huius mali indole, in consilium vocauit CLARVM, WENDLERVM et KOHLRVSCHIVM, qui viri Exc. et EXP. in hoc misero vires praeprimis vitales, quantum fieri posset, erigendas, febremque hecticam coercendam, postea autem totius tumoris extirpationem quam primum suscipiendam esse mecum statuerunt. Quocirca corticem Peruuiianum cum lichene Islandico pro vsu interno, tenuissimam vero mercurii sublimati corrosiui solutionem pro vsu externo, qua tumor quotidie ter vel quater foueretur, et lintei carpti auxilio tegeretur, praescripsimus. Cum aegrotus ab operatione valde abhorreret, haec medicamenta cum interna, tum externa per longum tempus, mutatis interdum mutandis, continuabantur, victusque laetior paebebat, quo demum factum est, vt vniuersa hominis valetudo paulo melior euaderet.

Quo minus interea malum primarium curandi ratione imminebatur, eo acrius hortati sumus aegrotum, vt sese operationi sub prognosi quidem dubia, neque tamen sine quadam restitutionis spe subiiceret. Sed, aegroti voluntas nutabat per aliquot septimanas, donec circa finem mensis Aprilis MDCCCXVIII. se operationem toleraturum esse, subito declararet, quae die XXVII Apr. multis

adstantibus medicis, artisque cultoribus peracta est. Viro supino collocato, pedibus flexis, et in sellis subpositis firmatis, cathetere argenteo in vrethram et vesicam vrinariam caute quidem, sed non sine molestia propter orificii occultationem inducto, tumore inuoluto et protracto, integumentisque montis Veneris communibus in vtroque latere retractis, duas incisiones semilunares a margine symphyseos ossium pubis incipientes, et ad tertiam vsque partem anteriorem ac superiorem scroti procedentes scalPELLi ministerio institui, quarum cornua, ubi inuicem coibant, in superiore et inferiore parte angulos formabant. His plagis inuolucra communia corrupta separabantur: plures exiguae arteriae discessae sanguinemque spargentes KOHL-RVSCHII dexteritate comprimebantur. Margines huius insulae carneaे, (liceat mihi formula loquendi haud consueta vti) hamulo BROMFIELDIANO attracti prouido scalPELLi ductu a partibus subiacentibus soluebantur, donec omnes carcinomate affectae partes essent remotae, et ossa pubis non nisi periosteо tecta conspicerentur. Omnes spectatores aegroti patientiam et sanguinis effluentis exiguum copiam mirati sunt; quamuis magna arteriarum minutarum copia discindetur, quarum plurimae compressae, nonnullae autem filis sericeis cera obductis ligatae sunt. Deligatio vulneris fuit simplicissima, linteum carptum et linteramina compressa vulneri imposta fasciae, quae figuram literae latinae T habet, ope firmabantur, deinde catheter argenteus extractus, elasticus vero inductus et in vesica relictus est. Aegrotus deinde maxime debilitatus in lectum translatus, ipsique maxima tam corporis, quam animi tranquillitas commenda est.

*Vesperi eiusdem diei*, dolor vehemens, lotii profluum semipiternum, sudorque profusus aegrotum quiescere haud patiuntur, puluis DOVERI exhibitus est.

*Altero die* nulla conditionis mutatio.

*Per plures dies* aegrotus de summa debilitate, appetitus, somnique defectu conquestus est: omnia symptomata febrem traumaticam adesse significarunt.

*Quinto die*, deligatione prima soluta, adspectus vulneris manus, superficies ita impura, saniosa, et pallida fuit, vt ad medicamentorum balsamicorum leniter irritantium cum internorum tum externorum usum confugiendum esset; quo factum est, vt suppuratione, ac habitus aegroti vniuersus proximis diebus melior, vulnusque purius redderetur.

*Die decimo* vincula arteriarum ex vulnere prodibant, puris conditio bona, vulneris ambitus minutus, aegrotus nil nisi molestiam, instrumento ipsi paratam habuit, de qua lamentaretur.

*Per aliquot dierum spatium* aegrotus peius se habuit, partim propter ciborum noxiorum clam ipsi allatorum usum, partim propter animi commotionem. Ob symptomata gastrica remedium leniter purgans adhibuimus.

*Die decimo quinto*, cathetere elastico emollito abiepto, recens est immissus.

*Die vigesimo* aegrotus hilarior fuit, nulla functio corporis a norma aberrauit, vulnus repente est minutum, cicatricis in ambitu initia animaduersa sunt: papillae carneae laete rubentes optimam prae se tulerunt formam.

Nolo nunc narratione nimis extensa defatigare patientiam lectorum, sed propero ad finem historiae. Conditio aegroti quoquis die facta melior, suppuratione minuta est, cicatrix versus vulneris centrum processit, in scrotri parte anteriore et superiore rugae sensim sensimque formatae sunt, vires creuerunt, vir lotium retinere eoepit. Cicatrice perfecta cannulam ipsi praebuimus, cuius ministerio mingeret, qua vero per breue tantum tempus usus est, nam post aliquot menses eam abiecit, Iotii cum emissione, tum retenzione, voluntatis imperio hucusque obtemperante, nec ullo amplius impedimento turbata.

*Die XIII. Iunii* hic vir nosocomio gratissimus laetissimusque valedixit, et hodie quoque optima gaudet valetudine, et laborum

molestias vti in virili aetate tolerat. Ad hanc sanitatem augendam, viresque conseruandas non parum conferre mihi videtur seminis resorptio: repetitis enim vicibus vir confessus est se ante morbum et sub morbi adeo initio saepissime, morbo autem superato ne semel quidem ejectionem seminis nocturnam esse passum, quod quidem in tanta testiculorum integritate, et aetate non nimis prouecta vix credi posset, nisi ad hancce facti explicationem forsitan audaciorem confugeremus.

Tabula aenea vulneris sanati et cicatrice obtecti imaginem sittit. Litera A vrethrae orificio significat. In vtroque latere herniae antea commemoratae animaduertuntur, in dextro inguinalis externa, et cruralis, in sinistro cruralis: quarum prima, inguinalis, facillime quidem pro crurali haberri potest, attamen accurata per vestigatio rem aliter sese habere, me docuit. Ex longo enim temporis spatio hic vir bracherio male conformato minusque apto vtitur, quod retinet modo cruralem sinistram, hernias dextri lateris autem tantum abest, vt coercent, vt cingulo eas deprimat, atque ad Iatus protrudat, quo magis promineant, totumque partium situm ita mutet, vt linea inter inguinalem et cruralem conspicua a ligamento Pov-  
PARTII propulso effingatur; linea superior acuta supra inguinalem in conspectum veniens non minus a bracherii impressione proficitur, et certissime credo, hanc inguinalem iam diu in scrotum des-  
censurum fuisse, nisi partim depressione commemorata, partim vero cicatricis firmitate via ipsi paecluderetur.





E. Wood ad nut. del.

J.F. Schröter sc.

